

Zu der öffentlichen Prüfung der Zöglinge des Gymnasiums zu Stargard am 30. September 1846.

ladet ehrerbietigst ein

DR. C. FREESE
Director.

Inhalt:

Stargard 1846.
Gedruckt bei Carl Ferdinand Hendess.



De Evagora ejusque bello contra Artaxerxem II gesto.

Part. I.

Scribenti mihi librum de Cypro nequaquam dubitationes injectæ sunt quin Diodoro bellum ab Evagora Cypriae Salaminis rege contra Artaxerxem gestum diligenter et accurate narranti fidem haberem, quod et ad res ipsas et ad temporum rationem computandam attinet. Libenter fateor Isocratei Panegyrici editionem a Spohnio curatam illo tempore nondum mihi notam, Clinonis vero fastos Hellenicos non ad manum fuisse. Audiveram quidem esse nonnullos qui bellum, de quo agitur, decem annis post quam Diodorus scripserit, gestum esse statuerent sed quum hujus rationis causas, quae sufficiant, invenire non possem, acquiescebam in illa ratione, qua Diodorus tempora computavit; quod jure meritoque fieri posse mihi persuasum habebam, quum tota Diodori narratio ab omni suspicione aliena videretur aliorumque scriptorum rarae ac sparsae commemorationes de singulis hujus belli rebus, Isocratis orationibus et Theopompi totius belli epitome non exceptis, copiosae narrationi Diodori ex mea quidem sententia optime congruerent. Finito libro de Cypro insula et edito tum demum certius didici, quot quantasque dubitationes in temporibus a Diodoro computatis viri docti reperissent. At nemo sententiam meam de fide Diodori labefactavit.

Verum tamen priusquam harum dubitationum levitatem demonstremus, res ab Evagora rege gestae Diodoro inprimis duce brevi exponendae sunt, quo facilius de contrariis sententiis judicetur.

Paulo postquam Athenienses victoriis a Persis Cimone potissimum duce reportatis Cypro discesserunt, sive quod incerti erant quid, duce mortuo agerent, sive quod nimis debilitati ac praeterea aliis rebus domesticis impediti erant, Persarum regis auctoritas in insula denuo crescere coepit. A quo, ut videtur, subornatus ***Abdemon***[1]) Tyrius[2]) regem

---

[1]) Theopomp. Phot. Bibl. Cod. 176.

[2]) Theop. vocat eum Κιτιέα, quod fortasse Citium primum occupaverat, et ab hoc oppido impetum in Salaminem susceperat, vel quod Citienses quoque Phoenices, a quibus oriundi erant, nominabantur.

Salaminiorum interfecit, rerumque potitus urbem barbaris implevit, totamque insulam ditioni regis subjecit, ut brevi tempore insulam ἐκβεβαρωμένην καί διὰ τὴν τῶν Φοινίκων ἀρχὴν οὔτε τοὺς Ἕλληνας προσδεχομένην οὔτε τέχνας ἐπισταμένην[3]) faceret. His rerum vicissitudinibus non solum Teucri stirps quae eo tempore regnabat regno spoliata est, sed etiam Evagoras [5]) homo privatus adolescentiam Salamine degere coactus est. Hic et forma [6]) et viribus excellebat, ad quas fortitudo sapientia justitiaque accedebat. Tantum enim et corporis et animi virtutibus valebat ut ii, qui tum regnabant, quotiescunque eum videbant, timore percellerentur regnoque metuerent: existimantes non posse fieri, ut tantae indolis vir per obscurum vitam transmitteret. Quam ob rem tyrannus Evagoram comprehendere conatus est; imperium non ratum sibi fore arbitratus, nisi illum quoque e medio sustulisset. Quo periculo evitato incolumis Solos in Ciliciae urbem pervenit. Consilia sua diligenter celans, impetu parato adhibitisque hominibus circiter quinquaginta, illorum ope sibi reditum in patriam munire regnumque sibi vindicare constituit. Quum navem ad insulam appulissent, nocte parva quadam muri porta perfracta sociisque per eam introductis, impetum in regiam fecit. Qua capta ipse dominum civitatis sese constituit, ac tyrannum ex urbe expulit. [7]) Salamis vero per regem Graecae stirpis recuperata vel maximo fuit momento ad ea, quae sequentibus annis gesta sunt.

At primo ille rex tributarius fuisse videtur, neque id recusasse, quo melius regnum firmaret vitiaque tyranni diligentia compensaret. Quum [8]) civitatem barbaria deformatam susceperat, quippe quae ob Phoenicum imperium nec Graecos admitteret, nec artes coleret, nec emporio uteretur, nec portus curae haberet; tum haec omnia correxit, tum agri etiam

---

[3]) Isocrat. Evag. cap. 20.

[4]) Non veri simile est Phoenicum stirpem jamdudum regnum Salaminium, ut Isocrat. in Evag. c. 8. affirmat, obtinuisse, nam apud Herodotum et Thucydidem nullum antefactae Cypriarum rerum conversionis Phoenice quodam auctore vestigium reperitur; item et Theopompus et Diodorus tyrannum Phoenicium unum solum Abdemonem norunt. Fortasse priorem nobis incognitam rem huic historiae orator immiscuit, aut id quod veri simillimum mihi videtur, imperio expugnator Citiensis ex stirpe Phoenicia oriundus et Tyrius, Abdemon brevi tempore interjecto sese exceperunt, et vitiosa tantum foret Isocratis vox. Cap. 9.

[5]) Natus circ. ann. 445, quum a. 374 jam senex diem supremum obiret.

[6]) Isocrat. in Evag. 10. Schol. Aphthon. in Walzii rhet. gr. 2, 261.

[7]) Haec facta sunt ante annum 410. Andocides enim orator fugit a. 415 ad Cyprium regem Citiensem; in patriam reversus a ex: 411, iterumque rediit in Cyprum, et quidem ad Evagoram a. 410. Plutarch. vit. dec orat. Andoc. Photius bibl. cod. 291 p. 488 Bekk. Sluiter lectt. Andoc. p. 76. Tzetz. Chil. 367. Lysias in Andoc. §. 27. al. Andocides de myster. §. 4. 132.

[8]) Isocrat. Evag. cap. 20.

multum adjecit. Quum urbem muris circumdedisset triremes aedificandas curavit, civitatemque copiis omnis generis ita auxit, ut cum quavis Graecarum urbium certare posset. His rebus effecit, ut multi eam timerent, qui ante contemserant. Neque satis habuit suam civita tem bene institutis temperare, sed etiam finitimos insulae incolas ad mansuetudinem et moderationem cupiditatum adduxit. Illud autem certissimum signum erat et morum et sanctitatis ejus, quod Graecorum complures patria relicta habitatum in Cyprum concesserunt, existimantes regnum Evagorae plus humanitatis et aequitatis habere, quam suas res publicas.

Id potissimum egit, ut vetus comercium, quod inter Athenas et Cyprum fuerat restitueretur, ad quam rem maximum momentum se attulisse Andocides ipse gloriatur.[9]) Quoties annona laborabatur praesertim ultimis belli Peloponnesiaci annis levabat eam Evagoras, cujus beneficii memoriam Athenienses per longum tempus servaverunt. Evagoras enim non minus, quam ante eum Pericles perspexit, quantum fructum Athenae et Cyprus ex mutua societate percipere possent.

Magni vero ad amicitiam jungendam momenti erat, quod Conon, accepta ad Aegos flumen clade, cum aliis quibusdam sociis ad Evagoram liberalitate insignem confugit. Putabat enim se apud illum et saluti suae rectissime consulturum et rei publicae erigendae eum adjutorem quam primum habiturum.[10]) Ex quo tempore Conon et Evagoras summa inter se juncti erant amicitia, ita ut ille plurimum Cypri viveret, et uxorem et filium ibi vitam degere juberet.[11]) Deliberantibus iis quomodo e calamitatibus Atheniensium urbem eriperent, mox opportunitatem Lacedaemonii praebuerunt, quibus ut principatum, quem tnm terra marique obtinebant adimerent summa ope enixi sunt. Hujus rei perficiendae causa cum rege Artaxerxe societatem inire studuerunt, cujus auxilio Atheniensium imperium restituerent. Hac mente regem ejusque duces edocent, non terra sed mari aggrediendos esse Lacedaemonios, per quos ei tot tantaque pericula creata essent. Deinde multis cum Graecis civitatibus societatem et foedus inierunt et legatis ad Dionysium Syracusarum tyrannum missis effecerunt, ut triremes, quas Lacedaemoniis auxilio jam missurus erat non mitteret.[12]) Ita factum est ut Agesilaus ob bellum a Conone et Evagora excitatum in Europam reverti cogeretur. Evagoras et Pharnabazus copiis conjunctis Cononis potis-

---

9) Andocides de redit. §. 20.

10) Isocrat. Evag. §. 22. Aristot. rhetor. 2, 23, 12. Plut. Artax. 21. Lysand. 11. Diod. 13. 106. Xenoph. Hellen. 2, 1, 29. Corn. Nep. 2, 1. Justin 5, 6. Oros. 2, 16.

11) Cornel. Chabr. 3.

12) Lysias pro bonis Aristophan. §. 20.

simum consilio usi Lacedaemonios proelio navali ad Cnidum facto vicerunt [13]) eosque principatu privaverunt; quo factum est, ut reliqui Graeci amissam libertatem recuperarent, et Athenienses delatum a sociis principatum reciperent. Quam ob rem Evagoras summo ab Atheniensibus ornatus est honore. Nam non solum summos ei honores decreverunt, quum ei ejusque posteris civitatem darent, sed etiam statuam ponerent in eo loco, in quo Jovis Servatoris erat simulacrum: [14]) Sed non facile fuerat Artaxerxem regem eo impellere, ut cum Evagora foedus iniret, cujus imperium et auctoritas regis incommodo et detrimento aucta esset, et procerto habendum est, Artaxerxem nihil praetermissurum fuisse, quin Evagorae incremento officeret, nisi aliis periculis perpetuo conflictatus esset. Prudentia tamen Evagorae ac vectigalibus duplicatis et eo, quod Ctesias [15]) medicus et Artaxerxis amicus opera sua eum juvabat, evenit, ut Persarum rex classem Phoeniciam et Graecam, quae maximam partem Cypria erat sociari sineret. Ipse tamen maximum fructum ex illo foedere percepit, quum illo tempore nulla alia ratio inveniretur, qua Lacedaemonii frangi possent. Sed societas, quam iis invitis sola necessitas conjugaverat, nec stabilis nec firma esse potuit, quia rex etiam eo ipso tempore, quo Evagorae auxilio Lacedaemonios delevit, contra hunc ipsum bellum paravit. [16]) Sed ne Evagorae quidem amicitia sincera fuit. Callide enim et prudenter ei agendum erat consiliorum suorum occultandorum causa, primum ut Atheniensium auctoritatem augendo Lacedaemonios frangeret, deinde ut regem sub specie amicitiae debilitaret et animi lassum faceret, usque ad id tempus, quod opportunum pugnae haberet, quum dubitare non posset quin rex ipse possessione imperii, quod eo invito teneret expellere conaturus esset.

Cyprus insula jam per se maximi momenti est, propter magnitudinem, fertilitatem, naturam ac situm, quibus rebus in eam maris mediterranei partem, quae ad orientem vergit, dominatur; qua de causa Phoenices, Graeci, Aegyptii, Persae, Ptolemaei, Seleucidae, insulam occupare studuerunt. Ipsi rei naturae consentaneum est, ut Artaxerxes ad maris et Aegypti, cujus desiderio omnes Persarum reges tenebantur, imperium recipiendum, Cyprum recuperare magnopere contenderit.

---

13) Xenoph. Hellen. 4, 3, 10. Diod. 14, 83. Justin, 6, 3. Cornel. Con. 4. Isocrat. Philipp cap. 25. Demosthen. Lept. 69. Ulpian. ad Demosth. Mid. 62.

14) Pausan. 1, 3, 1. Isocrat. Evag. 21.

15) Plut. Artax. 21. Ctesias ap. Phot. Cod. 76.

16) Isocrat. Evag. 22. πρὸς δὲ τοῦτον (Evagoram) οὕτως ἐκ πολλοῦ περιδεῶς ἔςχεν, ὥστε μεταξὺ πάςχων εὖ πολεμεῖν αὐτὸν ἐπεχείρησε i. e. dum Ev. tributum solvit et Lacedaemonios regis adversarios vicit a, 394. Ctesias αἰτίαι etc l. c.

Hanc ob causam et Evagorae et Cononis eo pluris intererat regem societate adstringere, ut dum ille bellum cum Lacedaemoniis gerens, manus impeditas haberet, Evagorae in Cypro libera agendi facultas daretur. Nam quum eum non fugeret omni tempore se invisum fuisse Artaxerxi, eumque opportunum aggrediendi tempus captare, [17]) regis incursioni occurrere seque ad impetum parare in animo habebat. Maxime autem ei elaborandum erat, ut domi imperium tutum ac firmum haberet. Itaque pugna ad Cnidum facta ante omnia, ut alias insulae civitates sub imperium suum redigeret contendit; alias vi, alias verborum illecebris, sibi adscivit; [18]) Solios, Amathusios, Citienses, qui resistere conabantur, armis petivit. Eodem tempore Conon Athenis, ubi anno $3\frac{93}{92}$ versabatur, ut rebus Evagorae prospiceret, operam dedit. [19]) Qui quum legatum mittere in Siciliam constituisset, Aristhophanes quidam Atheniensis, Evagorae amicus suscepto hoc munere eo navigavit, cum Eunomo et Lysia, eo consilio ut Dionysium commoverent *κηδεστὴν γενέσθαι Εὐαγόρᾳ*. Atque ab his Euagorae coeptis, quae incidunt in annum 393, bellum ab ipso et Artaxerxe gestum vere incepisse infra aperte apparebit.

Hae parvae expeditiones auctaeque Evagorae opes nulla ratione regi probabantur, qui aegre ferebat, quod illius opes in dies crescebant et jam auctoritatem Persarum obscuraturae videbantur; [20]) omni enim tempore unum vel alterum Cypriorum regum Persae habuerunt amicum, per quem obtrectationem et dissidium singularum civitatum alerent, impedirentque, quominus reges Salaminii totam insulam sibi subjicerent. Minores enim reges certam spem in Persarum regibus habere poterant, ac Solii, Amathusii, Citienses, [21]) tum ad Artaxerxem auxilium imploraturi confugerunt: iidem, qui jam olim diversis temporibus rem Graecam prodiderant, sive quod Salaminis magnitudini invidebant, sive, quod de Citiensibus quidem constare videtur, quia maximam partem a Phoenicibus orti erant, atque conversionem rerum Salaminiarum plurimum adjuverant, propterea, quod omnino regi Persarum cupiebant, ejusque quam Graeci regis imperio parere malebant. Qui legati Evagorae irae tantopere ferventes, quum id solum spectarent quod sibi non quod rei publicae ex-

---

17) Vid. not. anteced.

18) Diod. 14, 98.

19) Lysias pro bonis Artstoph. §. 19. seq. Rehdantz. Vit. Iphicr. etc. p. 34.

20) Verba Isocr.

21) Ita quoque Steph. Byz. s. v. Ὠτιεῖς et Suidas Ἀμαθούσιοι δὲ καὶ Σόλιοι καὶ Κιτιεῖς (err. Suid. scrib. Ἀτιεῖς et Steph. Ὠτιεῖς, quod corrigere debuerunt Sievers et Rehdantz) ἀντέχοντες ἔτι τῷ πολέμῳ. — Huc fortasse referendus est Demaratus Chytrorum rex ap. Harpocrat. s. v. Χυτροί: Λυσίας etc. ἐπειδὴ τοίνυν τοὺς Χυτροὺς ὁ Δημάρατος ἑάλω προδιδοὺς etc.

pediret illum apud regem criminati sunt, eum Agyridem[22]) amicum ac socium Persarum interfecisse. Iidem polliciti sunt, si rex auxilium tulisset, se eum adjuturos esse, ut totam insulam in potestatem redigeret. His auditis rex magnopere gavisus, quod opportunitatem Cypri subjiciendae nactus esset, auxilium non solum promisit, sed etiam praestitit. Hoc quum anno 391 factum sit, initium illarum expeditionum, quas Evagoras contra civitates suscepit, facile computari potest; Diodorus ad rem propositam properans, omnia, quae inde ab Abdemone tyranno usque ad annum 391 facta sunt, brevi tantummodo persequitur. Nam ante annum 393 factae esse non possunt, quod Evagoras tum societatem cum rege habuerat, belloque Lacedaemonici impeditus fuerat, neque multo post initium eas cepisse, ex hoc facillime apparet, quod uno anno civitates Cypri subjectas, legatos missos esse, Artaxerxem auxilium promisisse bellumque paravisse incredibile paene videtur. Haec sententia eo confirmatur, quod Cononem jam anno 393 Athenis operam dedisse legimus, ut Evagorae in Cypro bellum gerenti auxilio esset.

Quae Diodorus porro dicit, haec sunt: Rex igitur tum quod majoribus Evagoram opibus augeri nolebat, tum quod Cyprum ad suppeditandas navales copias, quibus Asia defendi posset, peridoneam esse perspiciebat, bellum contra Evagoram decrevit, dimissisque Cypriorum legatis, ipse omnibus maritimis urbibus, earumque satrapis, ut triremes aedificarent, et ad classes aedificandas usui essent per literas edixit. Hecatomno etiam Cariae regulo et Autophradati, Lydiae satrapae, ut Theopompus addit, ut bellum Evagorae facerent, demandavit. Interea ipse per superiores provincias earumque urbes iter faciens, cum magnis copiis in Cyprum transiit.[23]) Neque tamen res successit, sive quod bellum ab Artaxerxe molestis negotiis et periculis implicato admodum segniter gerebatur, sive quod Graeci hoc ipso tempore cum illo jam de pace agebant, in qua quin Athenienses pro Evagora intercesserint, dubitandum non est. Imminente periculo Evagoras legatos Athenas miserat,[24]) subsidium petituros, quibus nullum ab Aristophane quem jam supra commemoravimus, amicitiae officium defuit, quum prasertim ex litteris a Nicophemo patre in Cypro versante acceptis intellexisset,[25]) nihil omittendum, nullisque sumtibus par-

---

[22]) Hic sine dubio unus ex regulis Cypri Persarum auctoritati subjectis fuit.

[23]) Diod. 14, 98. quod iter jure in dubium vocatur.

[24]) Lysias l. c. §. 21. cf. 43, 44.

[25]) Lysias l. c. §. 23. ἐπιστολῶν δ'αὐτῷ ἠκουσῶν παρὰ τοῦ πατρὸς μηδὲν ἀπορήσειν ἐκ Κύπρου. Bremi ad h. l: „ἐκ Κύπρου offendebat Marklandum, nomen loci cum μηδὲν ἀπορήσειν jungentem ita, ut scribendem conseret ἐν Κύπρῳ. Reisk. autem, si ἐκ Κύπρου bene habeant, ea collocanda existimat pone παρὰ τοῦ πατρός. Quodsi verba ἐκ Κύπρου jungenda sint cum ἠκουσῶν, verborum collocatio in ore Graeco non potest offendere, quum ad finem ejusdem enuntiationis sint posita.“ — Si scriptoris sententiam spectamus. Reiskii explicatio praeferenda videtur, quem propterea locum interpretantes secuti sumus.

cendum esse. Athenienses vero decem triremes iis dederunt et decreverunt, quae porro facienda essent. Quum tamen pecunia ad deducendas in Cyprum naves necessaria carerent, nam non modo copias navales, sed etiam peltastas conduxerant armaque emerant, Aristophanes legati nomine ad Evagoram missus, pecuniam dedit, quantam ipse habebat vel ab aliis mutuam accipere potuerat; Triremes vero cives Athenienses, velut Demus Pyrilampi filius, exornarunt. Illas decem naves ab Atheniensibus amico utentibus Persarum rege Evagorae auxilio datas, Philocrates in Cyprum deducere jussus est, sed a Lacedaemoniis, qui quidem inimititias cum rege exercebant, sed iidem maximum in Evagoram, auctorem omnium adversorum casuum, odium conceperant ad Rhodum Teleutia classis praefecto interceptae sunt. [27]) Anno inseqenti [28]) Athenienses novam classem Chabria duce cum 800 peltastis et decem triremibus, adjunctis ex urbe aliis navibus et gravis armaturae militibus Evagorae opem laturam in Cyprum miserunt, quae aliquot illustribus victoriis reportatis Evagorae totam insulam magna cum gloria Atheniensium subjecit. [29]) Sed etiam ab hostibus provisum, ne Graecis victoria magno labore constaret, nam Hecatomnus ipse, quem Artaxerxes exercitui praefecerat tantum abfuit, ut Evagorae hostem se praeberet, ut clam cum eo faceret, eique pecuniam subministraret, qua milites mercenarios conduceret. [30])

Pluribus annis post legatos Graecorum apud Artaxerxem regem pacis conciliandae causa fuisse legimus. Cujus etsi plurimum intererat Graecorum discordias nunquam componi, tamen paci serviendum esse arbitrabatur, quum hostis potentissimus e propinquo impugnandus esset, quem nunquam superaturus videbatur, nisi a Graecis pace composita milites mercenarios accepisset. Quod etsi persuasum habebat, tamen diu haesitavit, utrum Athenienses an Lacedaemonios socios sibi adscissceret. In Atheniensibus auctoritas major erat sed suspecta fides, nam hi jam antea a rege auxilio arcessiti non semel suspicionem perfidiae praebuerant, eo tempore autem summo studio Evagoram adjuvabant: Lacedaemonii contra, qui semper inimicitias cum Evagora gesserant, jam ob inveteratum

27) Xenoph- Hellen. 4, 8, 24.

28) an. ex. 390 velde. 389. in.

29) Xenoph. Hellen. 5, 1, 10. Cornel. Nep. Chabr. 2. Demosth, c. Lept. 76. Hac occasione opinor, nam in aliam res non conveniunt, Rhoecus, rex Amathusiorum captus erat, et redux domum, fortasse pro liberatione Athenas frumentum miserat. Hesych. et Suidas s. v. κριθοπομπία.

30) Diod. 14, 110. 15, 2. Isocrat. Evag- §. 162. Ἑκάτομνος δ᾽ὁκαρίας ἐπίσταθμος τῇ μὲν ἀληθείᾳ πολὺν ἤδη χρόνον ἀφέστηκεν.

in eum odium fidem servaturi esse videbantur. Interim Evagoras in dies viribus auctus est; nam quum Cypro insula potitus esset, Tyrum aliasque Phoeniciae urbes [31]) in potestatem tuam redegit. Ceterum non dubitandum est, quin rerum Cypriarum ratio inprimis paci componendae obstiterit, Atheniensibus aegre ferentibus quod fidissimus sibi socius destituendus esset, Lacedaemoniis autem odio flagrantibus et invisum inimicum, qui totum ipsorum imperium everterat, ulscisci cupientibus. Tum demum, quum Athenienses coacti essent Evagoram non sine magno dolore [32]) relinquere et missum facere inter eos de pacis conditionibus conveniri poterat. — Ex verbis ἐπικρατέστερος ἐπολέμει, satis superque apparet, non solum ante pacem Antalcidae jam bellum cum Evagora gestum esse, sed potius hanc pacem eo tantum consilio compositam esse, ut Artaxerxes, qui aegerrime tulerat, se bello Graecorum impeditum Cypriis amicis opem, quam vellet ferre non posse, acrius cum Evagora dimicaret.

Composita pace Atheniensiumque exercitu reducto, maxima Artaxerxi licentia data erat simultatis adversus Evagoram susceptae et diu cohibitae satiandae. Itaque Chabriae postea in Cypro nulla jam est mentis, quippe qui secundum pacis conditiones e Cypro cum exercitu procul dubio fuerit revocatus. Uterque adversarius pugnandi cupiditate flagrabat atrocius quam ullo tempore priorum annorum, quum de summa rerum decerni manifestum esset. „Nam et ingenio maximo et insuperabili virtute Evagoram esse et fortunam adjutricem habere et homines liberalitate sibi conciliasse, rex intelligebat. Non tam iratus ob ante actas res, quam de rebus futuris sollicitus erat, bellumque non solum Cypro, sed summae rerum timens parare coepit; idque tanta mole, ut in eam expeditionem amplius quinquaginta millia talentum consumserit“. [33]) Multum temporis [34]) in belli apparatu collocaverat, magnasque undique copias tum navales, tum terrestres contraxerat. Nam et pedester exercitus cum equitatu trecentis millibus constabat et amplius trecentae naves praesto erant.

Duces autem praefecit, pedestribus copiis Orontem generum, navalibus Tiribazum virum magna apud Persas auctoritate. Qui assumtis in Phocaea Cumaque exercitibus in Ciliciam descenderunt, unde in Cyprum transvecti strenua opera in bellum administrandum incubuerunt.

---

31) Historicus hanc oratoris narrationem confirmat. Diod. 15, 2. Isocrat §. 62.

32) Isocrat Paneg' l. c. ἐν ταῖς συνθήκαις ἔκδοτός ἐστιν.

33) Sunt verba Isocratis. Evag. cap, 22.

34) Diod. 15, 2 seq.

Interea Evagoras Acorim Aegyptiorum regem quum Persis inimicitias gerentem socium sibi adjunxerat, qui validis eum copiis instruxit; Hecatomnum etiam Cariae regulum aliosque. praeterea Persis inimicos tum occulte tum palam ad societatem belli pertraxit. Triremes autem ipsi erant nonaginta, quarum viginti Tyriae, reliquae septuaginta Cypriae.

Militum popularium sex millia [35]) auxiliarium vero multo plura habebat. Interim quum pecuniae affatim suppeteret magnam peregrinorum manum mercede conduxerat Quin Arabum etiam rex aliique regi Persarum infesti militum vim haud exiguam illi miserant.

His Evagoras copiis instructus, magno animo ad bellum se contulit et ut Isocratis verbis utar, omnibus quidem copiis inferior, consilio autem suo tam immensis apparatibus opposito in his longe admirabiliorem se praebuit, quam in iis omnibus, quae supra dicta sunt.

Ac primo navibus praedatoriis utens onerarias hostium insidiis exceptas demersit, vel accessu prohibuit, nonnullas etiam cepit. Qua ex re tanta in hostium castris consecuta est fames ut seditio fieret. Nam propter commeatus inopiam conductitii Persarum milites, in duces impetu facto, nonnullos occiderunt, tumultuque ac seditione tota castra impleverunt: adeo quidem ut magna cum difficultate tribuni militares Persarum et totius classis imperator, cui nomen Glos, aestum seditionis istum comprimerent. Cum tota igitur classe avecti magnam frumenti copiam e Cilicia transportant, unde castris deinceps alimenta prolixe suppeditabant. Evagoras autem pecunia frumento reliquoque apparatu a rege Aegyptiorum adjutus, quum hostes numero navium superiores esse videret, sexaginta navibus proprio sumta ornatis, quinquaginta ab Acoride impetratis numerum ducentarum navium complevit. Has magnifice ad proelium nec sine terrore hostium instructas, crebris exercitationibus ad certamen navale praeparabat. Accidit vero, ut classis regia Citium praeternavigaret. Tum subito navibus bono ordine instructis in Persas invectus, longe illis praestabat, et primo statim concursu splendidam victoriam reportavit. Triremibus enim conjunctis dispersas ac tumultu perturbatas aggressus partem earum corrupit, partem in potestatem suam redegit. Ac quum Glos Persicae classis praefectus aliique duces fortiter impetum hostis exciperent, acris exoritur pugna, qua primum

35) Parvi in universum hi numeri sunt, et fortasse in dubium vocandi.

Evagoras superior erat; sed post, ubi Glos omnium virium suarum mole infertur et animose decertat Evagoras multis triremibus amissis fugam capessit.

Itaque Persae, hoc proelio victoriam adepti, utrumque exercitum, congregant ad Citium unde armis in hostes expeditis, Salaminem obsidione cingunt, urbemque terra simul et mari oppugnant. Tiribazus autem post proelium navale in Ciliciam vectus, atque inde ad regem profectus, victoriae nuncium pertulit et duo talentum millia ad bellicum usum reportavit. Ceterum Evagoras ante pugnam illam navalem pedestri suo agmine partem hostium exercitus aggressus superior discesserat ita ut certam spem haberet cetera non minus feliciter sibi successura esse. At post infelicem proelii navalis exitum, quum arta insuper obsidione premeretur, animum despondere coepit. Nihilominus tamen in proposito bello perseverandum ratus, relicto ad defensionem urbis filio Protagora, [36]) cui summam rerum in Cypro commiserat, cum decem ipse triremibus clam hostibus a Salamine noctu profectus, in Aegyptum pervenit, ubi cum rege congressus eum hortatur, ut commune sibi cum Persis bellum esse censeat, eamque ob causam totis viribus in hoc ipsum incumbat.

Insequenti anno [37]) Evagoras ex Aegypto in Cyprum rediit, pecunias quidem ab Acoride Aegypti rege acceptas secum ferens, sed expectatione longe pauciores. Quumque Salaminem obsidione summopere premi seque omni sociorum auxilio destitutum videret, de pace impetranda legatos mittere cogitur. Tiribazus igitur, penes quem summa tum potestas erat, se bellum compositurum esse respondet, si Evagoras omnibus Cypri urbibus cedens et unius Salaminis possessione contentus certum quotannis regi tributum pendat, et ad imperata [38]) facienda, ut servus domino sit praesto. Quae conditiones licet perdurae essent, Evagoras tamen reliqua omnia concedit, sed hoc unum, quod servi instar ad heri

---

36) Aliquot Cypriorum regum nomina jam a veteribus male confusa sunt. Isocrates nominat hunc Evagorae filium **Protagoram**, Theopompus **Pnytagoram**, etita viri docti correxerunt pro **Pythagora** ap. Diodorum. Equidem eum nominans **Protagoram** arbitror in hac re majorem fidem habere Isocratem aequalem et amicissimum regiae gentis, neque est, cur fallat. Hic filius una cum patre occisus est auctore Theopompo (V. libr. de Cypro 1 p. 323 seq.) Adversarium Evagorae secundi **Diodorus Protagoram** nominat, nos autem ex nummo Pythagoram (v. l. c. p. 344 seq.) vocavimus, et Alexandri Magni aequalem (l. c. p. 354.) Curtius, Arrianns, Athenaeus **Pnytagoram** nominant. Ita nomina principum Cypriorum distinguenda esse conjecimus l c. p. 319

37) **Diod.** 15, 8. — ann. 385.

38) **Diod.** l. c, αὐτὸς δὲ μόνης τῆς Σαλαμῖνος βασιλεύων τέλη τῷ Περσῶν βασιλεῖ κατ' ἐνιαυτὸν φόρον ὡρισμένον, καὶ ποιῇ τὸ προσταττόμενον ὡς δοῦλος δεσπότῃ

